

esse lentiformes, punctis confertis elevatis, addas fructum in figura.

59. Si flos luteus est *Orobis angustifolius* Gmel. *Sibir.* 4. p. 14. f. 5. si vero albo-caeruleus est *Orobis caule ramoso, foliis quaternis, pinnatis, linearibus, stipulis semisagittatis subulatis.* Gerard. prov. 493.

82. *Antirrhinum cirrosum*, foliis alternis hastatis, caulibus patulis, petiolis passim cirrhescentibus. *Amoen. Acad.* 2. p. 249. Similis est illa Till. pis. t. 32. f. 2. sed haec glabra, floribus alius coloris, quam Tilliana.

29. Speciem non dicam, flos certe simillimus *Tragopogoni porrifolio*, an varietas aut planta hybrida?

41. De Fungis nil dicam, vidi eorum inconstantiam; quando crescunt in ligno, dum evadunt et perennantes. Sed et vidi *Mucorem unctuosum* esse eundem cum *Agarico Querci* (ut certissime vidi), nescio profecto quid hic sit genus aut species in fungis.

12. *Sempervivum globuliferum* tuum est forte eadem species cum *S. hirta*. mea in horto nondum floruit, quam ex Sibiria habui tuae propaginibus simillima. an ambae species merae varietates.

Raphanus caudatus apud nos persistit sibi similis, nisi in loco nimis angusto crescat, tum siliquas breviores acquirit. *Raphanus vulgaris* numquam tales siliquas longas producit. Si vulgaris variet in caudatum, tum certe erit eadem, quod numquam vidi.

17. Gratum erit videre specimen fungi istius, et mox dicam de genere.

Cotyledonem Saxifragae β esse speciem distinctam jam sentis, nec habeo quod respondeam; si nullas vidissem alias species *Saxifragae*, quam *Cotyledonem*. hoc idem sentirem. Sed quomodo producuntur varietates?

Upsaliae 1771, d. 22. Septembr.

C. Linné,